Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Leo Bapista[i] Albertus De Re Aedificatoria.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

Visual Library

LEO BAPTISTA [1] ALBERTUS DE RE ÆDIFICATORIA.

Florentiæ per Nicolaum Laurentium Alamannum MCCCCLXXXV.

Angelus [2] *Politianus Laurentio Medici patrono suo* S. D.

BAptista Leo Florentinus e clarissima Albertorum familia, vir ingenii elegantis, acerrimi judicii, exquisitissimæque doctrinæ; cum complura alia egregia monimenta posteris reliquisset, tum libros elucubravit de architectura decem, quos propemodum emendatos perpolitosque editurus jamjam in lucem, ac tuo dedicaturus nomini fato est functus. Hujus frater Bernardus, homo prudens, tuique inter primos studiosus, ut una opera tanti viri memoriæ, voluntatique consuleret, & tuis in se meritis gratiam referret, descriptos eos ex Archetypis, atque in volumen redactos, tibi repræsentat, Laurenti Medices. Et cupiebat ille quidem, ut ipsum apud te munus, auctoremque muneris Baptistam, ornarem verbis. Quod ego mihi nulla ratione statui faciendum, ne tam absoluti operis, tamque excellentis viri laudes culpa (*sic*) deterrerem ingenii. Namque operi quidem ipsi majus multo ex lectione præconium accedet, quam quanto ego ullis verbis consequi possim. Auctoris autem laudes non solum epistolæ angustias, sed nostræ omnino paupertatem orationis reformidant. Nullum quippe hunc hominem latuerant, quamlibet remotæ litteræ, quamlibet reconditæ disciplinæ. Dubitare possis, utrum ad oratoriam magis, an ad poeticen factus; utrum gravior illi sermo fuerit, an urbanior. Ita perscrutatus antiquitatis vestigia est, ut omnem veterum architectandi rationem & deprehenderit & in exemplum revocaverit; sic ut non solum machinas & pegmata, automataque permulta, sed formas quoque ædificiorum admirabiles excogitaverit. Optimus præterea & pictor, & statuarius est habitus; cum tamen interim ita examussim teneret omnia, ut vix pauci singula. Quare ego de illo, ut de Carthagine Sallustius, tacere satius puto, quam pauca dicere. Huic autem libro, Laurenti, cum vel præcipuum locum in tua bibliotheca velim attribuas, tum eum & ipse legas diligenter, & legendum vulgo publicandumque cures. Nam & ipse dignus est qui volitet docta per ora virum, & in te jam uno propemodum recumbit desertum ab aliis patrocinium litterarum. Vale.

[1] „ *Leo Baptista Albertus* Florentinus Lau„ rentii filius, amplissimi Cardinalis Alberti „ de Albertis Nepos, Abbatiæ Sancti Severini „ Pisani præsul, vir Jurisprudentia, Geometria, „ Astrologia, Musica, pingendi & sculpendi „ facultate instructissimus. Floruit medio fere „ sæculo XV. Conquiescit Florentiæ in amplissi„ mo templo Sanctæ Crucis apud suos ". Hæc de *Alberto* Pocciantus. Cat. Script. Fl. p. 111.

[2] *Angelus Ambroginus*, vulgo *Politianus* a Monte Politiano eius patria; vir Italica, Græca, Latinaque Lingua disertissimus, suo sæculo plane incomparabilis & quavis laude major. Vide si lubet *Jo. Oth. Menkenium*, & *Petrum Antonium Serassium* in eius Vita, quam hic Italico, ille Latino sermone conscripserunt.

SA-

Landesbibliothek Oldenburg